(10.)

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# FEBRE PUERPERARUM

OBSERVATIONES ALIQUOT COMPLECTENS

ITEMQUE

INTER MODOS PARTURIENTIUM IN ANGLIA ET SCOTIA INVICEM TRACTANDARUM DISCRIMEN RECENSITUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS THOMPSON,

Anglus,

CHIRURGUS,

SOCIET. PLINIAN. EDIN. SOC. EXTRAORD.

ET EJUSDEM PRÆFECTUS TER ELECTUS.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

AMICO SUO OPTIMO

VIRO EGREGIO ORNATISSIMOQUE,

GULIELMO DOWDESWELL,

IN EXERCITU BRITANNICO

IMPERATORI;

HOC OPUSCULUM,

OB BENEFICIA INNUMERA

IN SE COLLATA,

PIGNUS ANIMI GRATI,

CUM OBSERVANTIA SUMMA,

SACRARE VOLUIT

AUCTOR.

VIRO CELEBERRIMO

ROBERTO HOOPER, M. D.

UNIVERSITATIS OXONIENSIS,

ET

MEDICO IN NOSOCOMIO *ST MARY LE BONE*,

*&c. &c. &c.*

NECNON OMNIBUS SCIENTIIS QUAS,

ARS APOLLINARIS COMPLECTITUR,

QUAM MAXIME PERITO,

A QUO PRIMORDIA ARTIS

ACCEPIT;

**HAS PAGINAS,**

QUA DECET DIFFIDENTIA,

D. D. D.QUE

AMICUS ET QUONDAM VERE DISCIPULUS,

AUCTOR.

ITEMQUE

SOCIETATI PLINIANÆ EDINENSI,

SOCIISQUE EJUSDEM SINGULIS,

ILLI

REVERENTIÆ SUMMÆ TESTIMONIUM,

HIS AMICITIÆ AMORISQUE ARGUMENTUM,

HANCCE DISSERTATIONEM,

CONSECRARE GAUDET,

SOCIUS ET AMICUS,

AUCTOR.

J. Woodforde Esqr

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

## DE

# FEBRE PUERPERARUM, &c.

Auctore HENRICO THOMPSON.

CUM multa remedia ad quemvis morbum sanandum in medium subinde prolata sint, talem morbum cui talia remedia præcipiuntur prius indagatum et bene intellectum fuisse, sperare imo expectare nonne licet?

Hoc autem, in eo de quo sumus tractaturi malo, minime verum est; ars enim Medicinæ Obstetricæ nondum ea cura, qua par esset, explorata fuit; et quamplurimæ, dicere piget, excellentes æstimabi-

les aggressibus morbi nequaquam novi aut inusitati, sive his ignaviter conspectis, sive ignorantia medentium, præjudicio imbutorum aut scientiæ omnino inopum et medicinam empirice facientium, morti acerbæ indies succumbunt. Neque fortasse commodo communi minus obstitit, quod ex controversiis scriptorum de hac re etiam eruditissimorum, contentionibusque acribus super argumentum, quod æqua mente animique attentione lustratum fuisse decuit, mens publica dubitare didicit, et illa fides plena quæ dictis medicorum debetur valde labefacta fuit.

In hoc tractatu peragendo, ad Professorem Burns de Glasgua et Doctorem Campbell de Edinburgo, præcipue referam; quia in eorum scriptis sententiæ cæterorum qui ante de eodem scripsere inveniantur; notiones de morbo ipso adhuc optimæ exponuntur; et simul quia suas opiniones haud sine factis et exemplis bene attestatis, medicinæ curioso tradiderunt.

Minime vero argumentis, ab experientia unius solummodo deductis, etiamsi statio inter medicos sit altissima et auctoritas maxima, lis de Febre Puerperali tractando dijudicari queat; sed testimonio conjuncto multorum, qui observanda no-

tare, et res veras et factas memorare, in consuetudinem suam duxerunt. Ut enim a diversis opinionibus quæ identidem editæ fuere pro certo habere licet, diversa indicia profecto apparuisse quæ illas separatim comprobarent; ita multo magis cavendum est quo pacto et quousque commentis demonstratione perfecta haud sustentatis assentiamur: quoniam omnino nefas est consuetudinem curationis aliorum inculpare, nisi simul nostram meliorem esse documentis validissimis et certissimis quæ medicina et anatomia suggerere possint, ostendere parati simus.

Nihil magis in animum ingerat quantum nos oporteat, pro nobis ipsis, caute ab observationibus cum cura et æquo animo factis judicia detrahere; quam asseveratio Professoris Burns *, consiliumque Doctoris Campbell †, in plerisque suis exemplis editis expositum. In morbis compluribus curandis, satis fortasse erit, inter utrumque nimium mediam tenere viam; at in hoc de quo agitur, ab exemplis a posteriore memoratis appa-

* Pag. 537. "It is my duty," &c.

† Pag. 11. "I beg the reader," &c.—Treatise on the Epidemic Puerperal Fever.

ret, detractiones sanguinis aut liberas aut nullas usitandas esse; cum auctores inter se tantum distent, omni animi attentione quemque pro se judicare oportet.

Morbum nomine Febris Puerperalis cognitum breviter definire possumus: Dolor est in abdomine situs, rigore vehemente prægresso, cui calor magnus succedit, pulsus celer, molestia sub pressura magna. Circa diem tertiam vel quartam post, aut si Doctori DENMAN credimus aliquando ante, partum incipit *. Doctoris CAMPBELL inter observationes reperitur, dolorem molestum in fronte oculisque ipsis rigore seu rigoribus succedere, qui tamen iis nonnunquam antecedit; porro omnem animi aciem in cutis calorem temperatum †, qui perspirationem calido aggressui succedentem sequitur, ingerit, omnesque qui talia curent vehementer admonet, ne ei velut indicio morbi allevati omnino credant. Nihil profecto nisi abdominis pressuram quoque medentis aditu, num do-

---

* Pag. 585. "There are not wanting," &c.—Introduction to the Practice of Midwifery. 4to. 1801.

† Pag. 28.

lor adsit, demonstrare putat, quoniam eum abesse vix alia ratione tuto credere possumus *.

Hæc igitur sunt morbi indicia præcipua, quæ inter se conjuncta tantam sexui pulchriori perniciem afferunt, et tanta medicinæ impotentiæ opprobria objiciunt.

Quum ad usum medicum alius cujusque nationis oculos conferimus, sive eum in quovis morbo tractando nostro meliorem existere, sive istum morbum rarius accidere invenimus, nostrum est ad eas res animadvertere, causasque quæ earum rationem reddant sciscitari, et postea, iis cum eventibus nostræ medendi rationis accurate comparatis, quemlibet errorem qui in utroque insideat, detegere, et si omnino possumus corrigere. Ad discrimen inter methodos medendi, præ cæteris lectores rejicere volo, quia illud discrimen scilicet, unam esse ex causis quæ malo originem præbent, puto; morbum ipsum et causam quæ eum epidemicum efficiat, prorsus a se invicem distincte et separatim existere mihi apparet; neque huic posteriori impræsentiarum attendere statui.

Utrumne quid dicam in partem bonam acci-

---

* Pag. 29.

piatur necne, ignoro; nihilominus mihi certe liquido constat, morbum sæpe malis medentium rationibus cieri, ægramque ipsam sæpe pejoribus perire: bene constat enim, simulatores ignarissimos sibi officium obstetricii vindicantes, vitas ægrarum periculo objicere permitti, empiricenque perditissimam inter angores et pericula maxime imminentia sini; nec vaframenta desunt, quæ errores priorum contegant, sequelasque miserrimas posterioris animo publico tueantur.

Inter Medicos Angliæ, morbus de quo agitur, vix frequens in aggressibus, si cum frequentia ejus in hac urbe componamus, putari queat. Mihi liquet affirmare, multos diu rebus medicis interfuisse quibus raro, aliquos etiam quibus nunquam spectandus apparuit. Hoc tempore ipso, Universitati adest Anglus, qui annos viginti quinque officiis obstetricis functus est, ægrasque *mille quingentas* tractavit, et nihilominus ille se *tria exempla Febris Puerperalis conspexisse negat.* Cui rei igitur, tanta felicitas est attribuenda? Minime experientiæ majori quam in Scotia inveniri potest; sed, si mihi judicium offerre licet, rationibus præveniendi quibusdam bene stabilitis, quas vetustas ipsa

ad nos dirigendos per secula compluria quasi possessiones avitas tradidit. His rationibus ad præveniendum causarum primarum formationi bene accommodatis, exemplorum Febris Puerperalis in Anglia pro rato numero paucitatem attribuo, et huic sententiæ eo magis faveo, quia cum quibusdam hujus regionis collocutus sum, qui eandem medendi rationem ac Angli prosecuti sunt, ex quo numero unus saltem intra viginti annos *haud duas ex ægrotis sibi ipsi commissis*, morte amisit.

Aliqui fortasse rationi, quam ipsi non in consuetudinem suam adduxerint, irridere audeant; at si vel minimum animi liberalis judiciique sani habent, et beneficium ægrotantium corde intimo volunt, eum cui nunc illudunt modum, brevi usurpabunt. Si ratio existet quæ nihil injuriæ afferre potest, cui multum beneficii bona fide attribuitur, et quæ semper in promptu reperitur, nonne ad eam præ cæteris omnibus, statim confugere oportet ? Mihi equidem beneficio ejus in usu, nihil magis in aprico esse videtur, ideoque si venia datur, rationem a medicis Anglicanis quibus experientia haud parva fuit, usurpatam memorabo.

Ministerium medici, si non ad ægram prima introductio fuerit, aliquamdiu ante partum incipit et progreditur; illic enim medici familiarum quas adeunt, *amici* putantur, et sæpe cura eorum tempestiva morbum cum primum imminet, prævertitur.

Partu finito, ægram moveri minime sinere nutrix, puerperæ assidens jubetur, per spatium ad minimum *trium horarum,* nisi ut vesica urina depleatur, quod raro adeo cito post puerperium necesse evadit; dosis Tinct. Opii a 40 ad 80 guttulas adhibetur, et mulier si quies præbeatur, dormit, posteaque ex somno fere valde refecta expergiscitur. Sedulitas nutricis fasciam abdomini admovere cupientis hoc tempore reprimitur, et tali modo magna exercitatio quæ perniciosa foret evitatur; jam superest ægrotam lecto, linteis lodicibus mutatis, mundo imponere, et haustum salinum mitem hora quarta, quinta vel sexta quaque pro re nata ingerere; qua curatione indicia febris siqua se ostendere incipiunt, diaphoresi leni haustu effecta, vel minuuntur vel prorsus supprimuntur; circa diem tertium, sed nequaquam ante, nisi aliquod extra ordinem occurrat, haustus aperiens præcipitur, et sanitas quasi certa postea habetur,

si modo nutrix et medicus curam idoneam adhibeant, neque hic ante diem nonum vel maturrime convalescentem manibus remittat; postea eum interesse verisimile est haud necesse fore.

Magnum hanc inter et rationem in Scotia fere assumptam discrimen intercedit. Fascia lata hic vulgo proxime post partum admovetur, nullum opiatum plerumque exhibetur, aperientia intra horas duodecim vel viginti quatuor post puerperium administrantur *; quo nihil *imprudentius*, nihil, me judice, *perniciosius* existere potest; et nihil salini medicamenti suos effectus in periculo prævertendo gratos edere sinitur. Diversitas igitur inter modos tractandi mihi penitus decretoria videtur, ejusque effectus certi et prorsus quales expectari possint: *Imprimis*, enim, cum vires vitæ dolore et excitatione exhaustæ fuerint, valde absimile est plus molestiæ et incommodi profuturum esse, e contrario non potest esse quin injuriam haud levem afferat. *Secundo*, Quo citius et certius quietem inducimus, eo maturius ægra motum subsequentem tolerare poterit; quo motu, per spatium horarum ad minimum trium, vetito,

* Burns, 481. Campbell, 286.

causa sanguinis profluvii nimii, maxime verisimilis evitatur, quod profluvium, ut omnes bene norunt, accessionem febris typhoideæ multo magis expectandam reddit. *Tertio,* Diaphoresis, haustu salino si mitis est, et talis solus, adhiberi debet, inducta nocere nequit, et haud parum boni, morbo præoccupato, certe efficit. *Quarto,* Cathartico, donec ventriculus et intestina id retinere ejusque actionem sustinere valent, inhibito, malum omne quod a remedio, antequam ventriculo intestinisque retinere ejusque effectus sufferi queunt, ingesto oritur effugimus; huic porro, consilio temerario, haud pauca inflammationis quæ sæpe subsequitur, exempla referre non omnino dubitem. Curatura puerperæ ante partum solicita, conditionem postea, alias difficillimam, minus periculosam reddit; neque minoris interest ad *naturam ipsam cathartici* respicere, quoniam alia aliis plus doloris afferre pollent, et hoc meo judicio attentionem maximam meretur, et inter medicas res gestas meas saltem semper obtinuit. Illo modo curaturæ monstrato, qui mihi rationi maxime consentaneus videtur, plura super eo in præsentia prætermittam, et venia concessa ad quæstionem, de morbi sede investigandum progrediar.

De morbi sede vera, an in utero, intestinis, an alibi reperiri possit, a multis disputatum est; hinc quoque diversitas remediorum, pro causis conceptis partibusque affici putatis, oritur; nihil referre aiunt alii, ubi morbus insideat, quoniam in quacunque parte reperiatur, curationem eandem existere oportet *: hoc fortasse verum est quatenus ad curationem spectat, minime vero ulterius; est enim perspicuum, scientiam sedis morbi veræ ad malum præcaventibus ei parte admotis, anticipandum adjuvare. A plerisque autem vel uterum vel intestina vim morbi accipere conceditur; posteriora mihi certe sedes mali semper esse videntur, quoniam ex cadaveribus inspectis, uterum tantum *aliquando*, intestina vero *semper* affici constat †. Intestina prius affici, cum morbus sæpe ante partum, ut ait Doctor Denman ‡, conflari incipit, plusquam verisimile videtur.

Quum in memoriam revocamus, quod omnibus arti obstetriciæ incumbentibus, et iis qui morbos

---

* Doctor Denman.

† Vide exempla edita Doctoris Campbell, p. 100. præcipue.

‡ Pag. 585.

mulierum inspicere solent, bene notum est, videlicet, quot et quanta mala ex inertia intestinorum naturali, aut incuria ad ea ipsarum socordi inducantur, eas inflammationi, cuncta puerperii irritatione superaddita, obnoxias fieri, minime mirum videbitur; neque metastasin inflammationis ex partibus aliis ad alias adeo ac hæc viscera arcte connexas occurrere, admirationem nostram excitare debet.

Quamdiu aliquæ fæminæ alvo haud depleta esse possunt, neque quidquam incommodi patiantur, fere incredibile est; præsertim cum nulla alia ex visceribus corporis humani tantam abnormitatem sine læsione vera tolerare queant: animi mobilitas ingeniumque irritabile inde effecta, nemini non conspecta sunt, et in plurimis inflammationi certæ præcurrunt.

Quædam per spatium dierum quatuordecim, imo etiam hebdomadum trium, intestinis fæcibus oneratis commoratæ sunt, ideoque causam excitationis minime naturalem et valde perniciosam induxerunt. Superficiei, qualis intestinis interne obducitur, quam exitiales stimuli materiæ putridæ tamdiu arcto contactu admotæ, accumulatæ quoque, effectus esse oportet! coacervatio ipsa

veluti alius putandus, est; sic duo mala simul superanda occurrunt: si porro ad hoc actionem parturitionis vel facillimæ peculiarem adjiciamus non injuriam tantum tam sæpe, at non multo sæpius, occurrere admirari licet. Istis, qui suas sententias amore obstinato et præjudicato præ cæteris fovere solent, nihil persuadere sperari potest; at profecto in aprico erit, quod ubi tales tubi intestinorum conditiones abnormes existere sinuntur, haud parum damni sit secuturum, et siquando ea incuria moribus aliisque rebus e situ locali natis, referri potest, ibi quam alias multo frequentius videnda occurret, ideoque ad fæces dejiciendas negligentia, stimulantibus sæpe simul assumptis, procul dubio ad morbos ardentes proclivitatem adjuvat, et, me judice, ad plurima Inflammationis Puerperalis exempla, quæ in urbe Edinburgo videantur, efficienda et exacerbanda quam maximum conducit.

Jam bene inter omnes constet, actionem alicujus organi secernentis, sive minutam sive nimiam ultra modum certum, ipsam esse morbosam, tali modo quoque ad secretionem in intestinis sub Febre Puerperali repertam respicere debemus, ubi, in omnibus post mortem inspectis, intestina hu-

more seroso seu aquoso et felle colorato, plena fuere, quæ secretio ibi extitisse non potuit nisi ex actione priori morbosa, ejusque actionis igitur causæ necesssario explorandæ manent. Intestina primo affici, ex supradictis, ut mihi videtur, liquido apparet; præsertim cum in omnibus exemplis exitu lethali finitis, flatus ingens est, diarrhœa * adfuerat, fæcesque sub forma scybalorum, ut plerumque in Enteritide communi accidit, dejectæ fuissent. Quinetiam, cum recordamur uterum raro speciem morbosam exhibere, et lochia raro supprimi neque sæpissime minui, uterum integrum esse credere fas est, quoniam functiones ejus in statu prorsus vel prope sano progrediuntur, quod aliter vix fieret; id enim profluvium aliquid turbationis, si uterus affectus esset, ut semper his rebus se ita habentibus, pateretur.

In plerisque exemplis a Doctore Campbell exploratis, intestina indicia inflammationis certissima ostenderunt, cavumque abdominis sive flatu sive fluido plenum repertum est: in uno præsertim exemplo †, ubi morbus gravis fuerat, et

---

* Campbell, p. 41. † Exemplum xvi.

ægra morbo obierat, nulla, nisi indoles tunicæ uteri peritonæalis vasculosa leniter aucta, in eo viscere indicia inventa fuere, dum, contra, tegmen abdominis peritonæale inflammationis signis penitus obrutum apparuit; ex quo malum in utero non primo extitisse, sed postea illuc irrepsisse quam lucidissime probatur.

In priori hujus tractatus parte, ad consuetudinem diaphoreticorum ingerendorum respexi; nunc ad aliud, in ægris sanandis venio, quod a ratione medendi hic usurpata, haud parum discrepat, rationem videlicet, generis medicamenti aperientis puerperis administrandi. Calomelas et Jalapa, medicamenta hic adeo frequenter exhibita, in Anglia a medicinæ peritis raro præcipiuntur; quia ea plus doloris quam fere ullum remedium aliud efficere constat; neque eorum a medicis abjectio haud rationi consentanea videtur, cum dolorem tali parturitionis stadio afferre non malum inducere nequeat, præsertim si purgantia adeo inconsulte ac in hac urbe, adhibita fuerint, his, scilicet, intra horarum viginti quatuor spatium ad maximum, sæpe etiam intra duodecim, a quibusdam datis. Neve hæc medicamenta valida, mitioribus

omnino magis prosunt; e contrario, penitus multo noxiora esse probantur.

Opii exhibitio discrimen inter medendi rationes inter se invicem collatas, proximum est ad quod respicere statuimus. In Anglia enim, ut jam supradictum est, guttulæ a 40 ad 80 proxime post partum præscribi solent; dum contra, in hac regione, illi qui in rebus obstetricis summam auctoritatem habent, opii auxilium prorsus spernere videntur. Professor BURNS * enim, in suo opere, non omnino præcipit; et Dr CAMPBELL †, in suo medicinæ usu, penitus recusat et increpat. Gaudeo, quod mihi liceat, hic nomina inserere medentium aliquot, qui omnes plurimas puerperas e ratione Anglicana et opio exhibito, et eventu felicissimo curarunt. Dominus WISE ita 1500 tractavit, neque e numero tanto etiam una Febre Puerperali correpta est: Dominus MACKAY 1800, quarum quidem 13 isto malo laborarunt, sed omnes sanitatem receperunt: Dominus TABRUN 1000, e quibus duas tantum febre ista correptas morte amisit: Dominus SIMPSON 2700, quæ omnes sine isto morbo convaluere; et postre-

* Pag. 481.

† Pag. 286.

mo, amicus quidam et adjutor Domini Mackay, 2000 modo et eventu paribus curavit.

Commenta, quæ inventoribus cara sunt, contra consuetudinem bonis effectibus stabilitam, et vulgo receptam, sustentare nomen non solum erroris sed etiam culpæ meretur : commenta talia quoque, donec experientia veritatisque lumen nunquam fallax accedat, et nubes præjudicii pertinaciæque rescindat, mentis oculos nimis sæpe occæcant.

Curæ valetudinis parturituræ ante partum generali, rationi mulcenti proxime postea usitatæ, et modo sanationis antiphlogistico, itemque selectioni aperientium idoneæ, eam multa puerperarum exempla in Anglia felici rationi oppositæ, in Scotia totidem infelici eventu tractatæ refero : magnum profecto discrimen intercedit; hic, enim, non modo cibus ex carne conflatus, sed etiam *vinum* intra dies quatuordecim conceditur.

Tempus antequam ægra moveatur, elapsurum, aliud est ad quod respicere oportet; motus enim maturi profluvium sanguinis ex usu inducent, neque ignoramus hanc causam magis quam alius ullus proclivitatem ad febrem typhoideam efficere; conditio puerperarum ad contagionem con-

cipiendam proclivis bene nota est, et hoc fortasse formæ typhoideæ adeo frequenter sub parturitionem observatæ rationem reddat; neque si quando hæc accidit, mirari debemus, eam inter pauperiores, quæ simul tot et tantis incommodis et desideriis laborant, ab alia ad aliam grassari: hic autem multum abest, ut morbum *puerperalem* dictum Febrem Typhoideam seu febrem *sui generis*, ut a quibusdam putatur, esse credamus. Ab omnibus morbi symptomatis, a remediorum in eum effectibus, et inquisitionibus postea factis, lucido apparet nomen "Febrem Puerperalem" male selectum esse, et quale in errorem, ubi jam satis superque ejus existit, verisimile perducat. Num "Inflammatio Puerperalis" nomen sit melius necne, illis qui ad pathologiam studium conferunt, constituendum relinquo; etsi tamen nomen adhuc receptum, male selectum existat, culpam in eos, qui quæstione minime explorata, id in usu tam diu permanere permiserunt, potius quam in illos qui prima medicinæ ætate dederunt, conferre debemus.

Postquam hunc tractatum inivi, mihi in mentem venit, inflammationem puerperalem epidemicam saltem *posse* fieri, ab "*ergot*" in corrupto

frumento consumpto; id enim malum in avena, certis temporibus certisque regionibus, frequentissimum evadit; et si "*ergot*" ingestum fuerit, inflammationem partibus intra pelvim excitat: messis igitur hujus avenæ corruptæ, in regione quadam præ cæteris consumpta, puerperas ejus tractus præ illis regionis vicinæ, quæ farinam aliunde obtinent, malo magis proclives reddere facile queat.

In fine, ex argumentis et experientia videtur, nos, si morbum de quo agitur, præoccupare volumus, ad secretionem in intestinis morbidam præcipue respicere debere; neque hoc effici posse, nisi attentione intestinorum conditionem, tam *ante* quam *post* partum, bene habita, et ratione puerperæ medendi bene instituta: at postquam morbus jam insederit, ad curationem ejus quasi inflammationis alius cujusvis partis tantummodo confugiendum est; quum hæc ratio sola sit omnino quæ malum superet, aut spem præbeat, etsi exiguam, vitæ protrahendæ, post morbum, qui tamdiu sexui pulchriori infestissimus extitit, et tantum opprobrium arti apollinari objecit.

FINIS.